Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2055
Quelle:
Copyright:

communicatorum. Benedictio sacri habitus virginum. Item *super uestes viduarum, que castitatem profitentur.*

DCCCXXXIII.

U. 672 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 109. 4. nitide a prima manu perscriptus et rubricis distinctus est alterum Exemplar *Ordinis siue breuiarii de ecclesiasticis obseruationibus quid legendum et cantandum sit per circulum anni secundum patauiensem ecclesiam;* sed mature delatum *Viennam*, quae tunc huic Ecclesiae suberat, a secunda manu multas per margines Notas recepit, quibus subplentur, quae vel *Passavii* tardius ordinata sunt, vel quae *Viennae* in celebrandis Festis observabantur Sec. XV. ineunte. Ita *fol.* 35. p. 2. *Notandum quod Reuerendus in christo pater et dominus Dominus Georius de hachloch* (Hohenlohe) *episcopus patav. vna cum venerabili suo capitulo Anno domini M°. CCCC-IV°. die mensis nouembris XII. pie statuit, vt omnes et singuli Presbiteri seculares cuiuscunque status gradus et conditionis existant, in ciuitate et dyoc. patav. vbilibet constituti deinceps singulis septimanis semel Sancti prothomartiris stephani ecclesie patav. patroni officium diurnum et nocturnum cum IX. lectionibus solempniter perpetuis futuris temporibus sub sancte obedientie virtute peragere debeant, nisi impediret officium commemorationis beate marie virginis in Nycena synodo singulis septimanis statutum* &c. De qua hic Synodo sermo fit, non video; in neutra enim Oecumenica aliquid ejusmodi statutum reperi *Fol.* 37. notatur: *Fit magnus conuentus ligonistarum an dem hoff.* Ad an. 1514. id pertinere censeo, quo mense *Majo* violentae Academicos inter et Vinitores urbis tunc adcolas vulgo *Hauer* rixae fervebant, ut refertur in *Conspectu Hist. Univ. Vien. Sec. II.* p. 83. *Fol.* 67. p. 2. ad Festum Theophoriae: *Missam tenetur officiare Abbas melicen. vel dignior post eum de professis suis, quod si non fecerit, tenetur capitulo certam penam solvere.* Eodem loco notatur, Ordinem Supplicationis ea die instituendae haberi in ultimo fol. *Fol.* 76. *Abbas de gleinch* (Glunicensis O. S. B.) *vel dignior post eum tenetur in vigilia Johannis baptiste interesse vesperis et in die officiare priorem missam — sub pena XLII. Libb. que cedere debent canonicis et capellanis tunc presentibus, et hec pecunia debet dari de ecclesia in Hedershofen ob hoc eis data. Sed eodem die Missam publicam tenetur Abbas Chotwycen. vel dignior post eum officiare sub pena 2. marcarum puri argenti ad custodiam uel fabricam soluendarum.* Item *fol.* 99. p. 2. *In die sancti Martini prepositus de sancto Ypolito uel dignior post eum tenetur officiare et dare preposito nostro aureum anulum uel III. florenos.* Et ita sparsim plura, quae demonstrant,